Aliud signum eneum est ante palatium domini pape, equus uidelicet immensus et sessor eius, quem peregrini Theodericum, populus uero Romanus Constantinum dicunt. At cardinales et clerici Romane curie seu Marcum seu Quintum Quirinum appellant. Hoc<sup>5</sup> autem memoriale mira arte perfectum super iiii<sup>or</sup> columnas ereas antiquitus ante aram Iouis in capitolio stabat : set beatus Gregorius equitem et equum suum deiecit, et quatuor columnas prefatas in ecclesia beati Iohannis Lateranensis posuit. Romani uero equitem cum equo ante palatium domini pape posuerunt. Eratque equus et eques et columpne optime deaurate, set pluribus in locis partem auri<sup>6</sup> Romana abrasit auaricia, partem uero uetustas deleuit. Sedet autem eques manum dexteram dirigens tanquam populo loquens uel imperans. Sinistra manu frenum retentat, quo capud equi in dexteram partem obliquat, tanquam alio diuersurus. Auicula  
191 b. etiam quam cuculam uocant inter aures equi sedet, | et nanus<sup>7</sup> quidam sub pede equi premitur, miram morientis et extrema patientis speciem representans. Hoc autem opus admirabile sicut diuersa sortitum est nomina, sic et diuersas composicio causas suscepit. Ceterum peregrinorum et Romanorum super hac re uanas fabulas penitus declinabo, eamque originem huius operis assignabo quam a senioribus et cardinalibus et uiris doctissimis didici.

Qui Marcum appellant, hanc composicionis causam assignant.

Rex Misenorum corpore quidem nanus<sup>7</sup> peritie uero artis nigromancie pre<sup>8</sup> cunctis mortalibus inbutus, cum finitimos sibi reges subiugasset, regnum Romanorum aggressus est, cum quibus facili euentu<sup>9</sup> plurima bella gessit. Quippe et robur hostium et aciem armorum arte magica ita prestrinxit quod hostes uirtutem ferendi et arma usum secandi penitus amiserunt. Vnde facile superior factus in omni certamine Romanos tantum castris coegit confidere. Ad ultimum autem eos arcta obsidione<sup>10</sup> circumdedit. Obsessi itaque Romani nullum subsidium sibi reperire  
192 a. potuerunt. Magus etenim ille memoratus singulis diebus ante lucis | ortum extra castra solus egrediebatur, auisque a castris quantum clamor auditur

<sup>4</sup> porta flammea.

<sup>5</sup> Hos.

<sup>6</sup> corr. from auro.

<sup>7</sup> manus.

<sup>8</sup> pre] praua.

<sup>9</sup> euentui.

<sup>10</sup> obsidi esse.

appellantis, artem magicam solus in agro exercuit. Ibiq̄ue uerbis quibusdam secretis et prestigiis potentibus obtinuit ne Romani ullam uirtutem uictorie contra eum possent exercere. Quod cum a Romanis compertum esset, et ex multa consuetudine didicissent eum ita a castris exire, quendam militem strenuissimum<sup>11</sup> Marcum nomine adierunt. Cui summum honorem promiserunt si se uellet periculo opponere ut urbem ab illa obsidione liberaret. Dominiumque ei liberate urbis pepigerunt, et memoriale sempiternum promiserunt. Quibus cum prono fauore paruisset, sancito federe<sup>12</sup> protinus murum 'et anum' murale ex ea parte qua rex predictus exire solebat noctu perforauerunt ubi miles memoratus cum equo suo transire posset. Deinde ei consilium suum apperunt, uidelicet ut nocte exiens regem Misenorum a castris egredientem non armis aggredere-  
tur, quibus minime ledi potuisset, set manu raptum intra muros reciperet. Quorum consilio omnino paruit, et de nocte media murum exiuit. Cumque auroram uigili animo exspectaret, cuculus ut assolet cantum emisit, | signum scilicet lucis orientis. Quo eques admonitus ascenso equo regem 192 b. tunc primum frustra magica arte occupatum conspiciit. Et eo uasto inpetu raptus inprouiso casu magum<sup>13</sup> manu raptum infra murum recepit. Quem in conspectu populi, metuentis <ne> si capto fandi moram concederent, se per artem magicam liberaret, sub pedibus equi sui contritum occidit. Non enim armis ei quisquam nocere potuit. Deinde portis apertis rege perempto exercitum perturbatum et in fugam conuersum inuadunt et occidunt, maximaque copia in ea pugna capta et cesa est. Nec ulla spolia tantum Romanorum ditauerunt erarium; et ob huius beneficii commodum pretaxatum ei memoriale statutum est. Cui equum adhibuerunt, quod ueloci cursu profuit, auem, quod nuncia lucis exstitit. Nanum autem sub pedibus equi posuerunt, quod protritum occubuit.

§ 5. *Alia causa composi<ti>onis huius signi.*

Qui uero Quintum Quirinum dicunt, hanc causam assignant.

Tempore quo Quintus Quirinus r. p. rexit, in palatio Salustiano terra magno hiatu dissiliit. Vnde ignis sulphureus et aer corruptus exiuit, quibus orta grauissima pestilencia magnam partem | Romanorum deleuit. 193 a. Cumque tabe moriencium pestilencia cotidie sumeret incrementum, Febo consulto didicerunt quod numquam cessaret nisi aliquis Romanorum se sponte hiatu prefato precipitaret, preferens salutem populi sue proprie salutis. Itaque<sup>14</sup> quendam ciuem Romanorum, generose quidem stirpis, set etate et ignauia inutilem sibi et urbi uitam degentem, exorauerunt ut se uictimam pro salute immense urbis faceret. Ea quidem condicione, quod progeniem eius totam ditarent et in numero potentum susciperent. Qui id omnino renuens respondit nichil sibi prodesse posteritatis gloriam suscipe<re si> uiuus regionem intraret tartaream. Deinde uero cum in tota urbe nullum penitus inuenirent qui ad ullam conuentionem huiusmodi uictimam uelle<t> persoluere, Quintus Quirinus coram contione tocius urbis sic ait: Sepe in ancipiti casu bellorum pro re publica periculum subiui mortis. Nunc autem cum nemo reperitur qui salutem populi sui preferat proprie salutis, princeps ego orbis e<t> urbis huius dominus paratus sum pro salute ciuium uiuus tartareum ingredi aditum. Idque coniugi

<sup>11</sup> strenuissima.

<sup>12</sup> fidere.

<sup>13</sup> magnum.

<sup>14</sup> Itaque] In

mee et liberis et toti posteritati mee inconcusse seruari uolo quod ignauis promissum est. Et ascenso equo coram cuncti(s) alacer et intrepidus, 193 b. tanquam | conuiuium aditurus, se cursu ueloci in aditum prefatum precipitauit. Et protinus quedam auis in specie cuculi inde exiuit<sup>15</sup>, et ilico hiatus os suum compressit, et omnis pestilencia habiit. Liberati itaque a tanta peste Romani ob summum beneficium memoriale ei statuerunt sempiternum. Cui equum quod eo uectus pro cunctis mactatus est adhibuerunt, auem uero que a specu exiuit inter aures equi statuerunt, et nanum qui cum uxore eius concubuit pedibus equi supposuerunt.

§ 6. *De tercio signo eneo.*

Tercium signum est imago Colosei, quam quidam statuum solis existimant, alii Rome effigiem dicunt. De qua hec admodum miranda sunt. Videlicet quomodo tanta<sup>16</sup> moles fundi potuit uel quomodo erigi aut stare mirum est. Fuit enim longitudo eius, ut scriptum repperi, c. xx. vi pedum. Stabat autem hec imago tam immense magnitudinis in insula Herodii super Colosseum .xv. pedibus altior eminentioribus locis et urbe. In manu dextera<sup>17</sup> speram gerebat, et in sinistra gladium. Per speram mundum et per gladium bellicam significabat (uirtutem). Gladium autem ideo Romani sinistre et speram dextre commiserunt, quod minoris uirtutis est querere quam quesita seruare: unde quidam familiaris philosophie sic ait:

194 a.

Lucan i,  
510.

*O facile(s) dare<sup>18</sup> | summa deos, eademque tueri  
Difficiles!*

Quare non ob aliam causam firmiori parti<sup>19</sup> commiserere speram et infirmior gladium, nisi quia minori uirtute orbem sibi subiugauerunt quam subiugatum seruauerunt. Hec autem imago enea tota auro imperiali deaurata per tenebras irradiabat. De qua longe ante omnia monstruosum fuit quod continuo et equali motu cum sole circumferebatur, semper solari corpori faciem gerens oppositam. Qua de causa multi<sup>20</sup> solis imaginem credebant. Hanc dum Roma floruit quicumque Romam ueniebat flexis genibus adorabat, Rome scilicet deferens honorem, cuius suplex uenerabatur imaginem. Hanc autem statuum post destructionem omnium statuarum que Rome fuerunt et deturpacionem beatus Gregorius hoc modo destruxit. Cum tantam molem multa ui et graui conamine non posset euertere, copiosum ignem idolo supponi iussit, et sic immensum illud simulacrum in antiquum chaos et rudem materiam redegit. Ex quo tamen caput et manus dextera cum spera tanto superfuere incendio. Que nunc ante palatium domini pape duabus marmoreis erecta columpnis mirandum spectaculum cunctis spectantibus exhibent. Nam cum horrende magnitudinis sint, mira tamen<sup>21</sup> laus ar<(ti)>ficis in his apparet<sup>22</sup>. Nichil quippe habet 194 b. perfecte | pulcritudinis humanum capud uel manus quod his ulla parte desit. Miro enim modo ars fusilis in ere rigido molles mentitur<sup>23</sup> capillos. Quod si quis defixis<sup>24</sup> luminibus attentius inspexerit, moturo et locuturo simillimum uidetur. Nullum namque signum, ut aiunt, tanta cura uel in pensis in urbe conditum fuit.

<sup>15</sup> inde exiuit] nō exiit.

<sup>16</sup> tanta] tanta.

<sup>17</sup> altera dextera.

<sup>18</sup> dare] dere.

<sup>19</sup> parte.

<sup>20</sup> Qua de causa multi] Quare nisti causa.

<sup>21</sup> tamen] cum.

<sup>22</sup> appariet.

<sup>23</sup> mentitur] inrētitur.

<sup>24</sup> defexis.



§ 7. *De ridiculoso simulachro Priapi.*

Est etiam aliud eneum simulacrum ualde ridiculosum quod Priapum dicunt. Qui demisso<sup>25</sup> capite uelut spinam calcatam educturus de pede, asperam lesionem patientis speciem representat. Cui si demisso<sup>25</sup> capite uelut quid agat exploraturus suspexeris, mire magnitudinis uirilia uidebis.

§ 8. *De multitudine statuarum.*

Inter uniuersa opera monstruosa que Rome quondam fuerunt, magis miranda est multitudo statuarum que Saluacio ciuium dicebatur. Hic arte magica fuit consecratio statuarum omnium gentium que Romano regno subiecte fuerunt. Nulla etenim gens siue regio subiecta fuit Romano imperio cuius imago in quadam domo ad has consecrata non esset. Huius autem domus magna pars parietum adhuc restat, et cripte eius horride et inaccessibiles apparent. In hac quondam domo predictae imagines ex ordine stabant, et quelibet imago nomen gentis illius cuius imaginem<sup>195 a.</sup> tenebat in pectore scriptum habebat, et tintinnabulum argenteum, quod omni metallo sonorius est, unaqueque in collo gerebat. Erantque sacerdotes die ac nocte semper uigilantes, qui eas custodiebant. Et si qua gens in rebellionem consurgere conabatur in imperium Romanorum, protinus statua illius mouebatur, et tintinnabulum in collo eius sonuit et statim scriptum nomen illius ymaginis sacerdos principibus deportabat. Erat autem supra domum hiis ymaginibus consecratam miles eneus cum equo suo semper concordans motui imaginis, lanceamque apud illam gentem dirigens cuius ymago mouebatur. Hoc itaque non dubio indicio premoniti Romani principes sine mora exercitum ad rebellionem illius gentis reprimendam direxerunt. Qui sepius hostes antequam arma et impedimenta parassent preuenientes facile et sine sanguine eos sibi subiugauerunt. Fertur autem in eadem domo ignem inextinguibilem<sup>195 b.</sup> inesse<sup>26</sup>. De hoc autem mirando opere artifex sciscitatus quam diu duraret, respondit illud duraturum donec uirgo pareret. Dicunt autem ingenti ruina militem prefatum cum domo sua corruisse ea nocte qua Christus natus fuit de uirgine, et lumen illud ficticium et magicum<sup>195 c.</sup> exiteritum<sup>27</sup> est, iure, cum lux uera et sempiterna oriri cepisset. Credibile est et malignum hostem potenciam fallendi homines deseruisse cum deus homo esse cepisset.

§ 9. *De ferreo simulacro Belloforontis [sic].*

Fuit etiam ingens miraculum Rome, ferreum simulacrum Belloforontis cum equo suo consistens in aëre, nec tamen ulla cathena superius appensum, nec inferius ullo stipite sustentatum. Set magnetes lapides in arcus inuolsura<sup>28</sup> circumquaque habebantur<sup>29</sup>, et hinc et inde in assumptione proporcionali trahebatur, et sic in mensura equiparata constabat. Erat tamen existimacio ponderis huius circiter xv. m.<sup>30</sup> librarum ferri.

§ 10. *De balneo Bianei Appollinis.*

Est etiam ualde mirandum balneum Bianei Appollinis quod Rome adhuc est. Hoc autem balneum Bianeus Apollo confectione quadam

<sup>25</sup> dimisso.

<sup>26</sup> inesse] inc'e'.

<sup>27</sup> exiteritum] qu. extinctum.

<sup>28</sup> arcus inuolsura (qu. inuoltura)] artus molsura.

<sup>29</sup> habebantur bis.

<sup>30</sup> m.] iii.

sulphuris et nigri salis et tartari arte miranda eneo uase inclusa perfecit. Perfectasque termas cum una candela consecrationis incendit, et perpetuo igne calentes effecit. Hoc quidem balneum ipse uidi et in eo manus laui. Datoque precio balnari renui ob fetorem odoris sulphurei.

§ 11. *De theatro in Eraclea.*

Theatrum autem admirabile in Eraclea de monte marmoreo inter  
196 a. monstruosa | non pigebit referre. Quod<sup>31</sup> quidem ita scu(l)ptum est ut omnes cellule mansionum et sedilia uniuersa per girum et exitus omnes et antra ex uno solidoque lapide<sup>32</sup> sculpta sint. Uniuer(sum) etiam hoc opus super .vi. cancos ex ipso monte sculptos innitur. Ubi nullus tam secreta aut solus aut cum alio loqui potest quod omnes qui in circuitu sunt non audiant.

Hactenus de iis que maiori admiratione digna sunt diximus.

§ 12. Nunc uero pauca subiciam de signis marmoreis, que pene omnes a beato Gregorio aut delete aut deturpate sunt. Quarum unam propter eximie pulcritudinis speciem primum referam.

Hec autem ymago a Romanis Ueneri dedicata fuit in ea forma in qua iuxta fabulam cum Iunone et Pallade Paridi in temerario examine dicitur Uenus se nudam exhibuisse. Quam temerarius arbiter intuens inquit

*Iudicio nostro uincit utramque Uenus.*

Hec autem ymago ex Pario marmore<sup>33</sup> tam miro et inexplicabili perfecta est artificio ut magis uiua creatura uideatur quam statua: erubescenti etenim nuditatem suam similis, faciem purpureo colore perfusam gerit.  
196 b. Videturque | comminus aspicientibus in niueo ore ymaginis sanguinem natate. Hanc autem propter mirandam speciem et nescio quam magicam persuasionem ter coactus sum<sup>34</sup> uisere, cum ab hospicio meo duobus stadiis distaret.

Non longe inde sunt equi marmorei mirande magnitudinis et artificiose compositionis. Hii autem ut fertur priorum conpotistarum ymagines fuerunt. Quibus ideo equi assignati sunt quia uelocis ingenii fuerunt.

§ 13. Iuxta hos sub duabus fornicibus recubant due seniorum imagines ex marmore, quarum utraque porrigitur in longitudinem .xl. pedum. Harum alteram Salomonis effigiem dicunt, alteram uero Liberi Patris ymaginem asserunt. Set qui Bacus dicitur uiteam stipitem gerit in manu. Qui uero Salomon appellatur sceptrum tenet in manu.

§ 14. *De palat(i)o Cornutorum.*

Prope has est palacium Cornutorum ampla quidem et altissima domus, in qua quidem multe ymagines sunt, set omnes cornute. Inter quas quedam ymago que longe ceteris maior est Iupiter arenosus dicitur. Set alii quibus magis credendum arbitror dicunt Cornutos quandam familiam fuisse qui  
197 a. illud palatium edificauerunt: hii<sup>35</sup> | autem in urbe uiri magni et clari<sup>36</sup> quondam<sup>37</sup> in hostes et ciues<sup>38</sup> superbi fuere et feroces, et Cornuti sunt a ciuibus appellati.

<sup>31</sup> Quod] Quid.

<sup>32</sup> lapidem.

<sup>33</sup> marmorie.

<sup>34</sup> sum] siue.

<sup>35</sup> hii bis.

<sup>36</sup> clari] elarei.

<sup>37</sup> quondam] quoniam.

<sup>38</sup> ciuius.

§ 15. *De pallacio Diocleciani.*

Palatium etiam Diocleciani preterire non possum, ubi urbis opus habetur. Cuius amplissimam magnitudinem et artificiosissimam et admirabilem compositionem scribere non sufficio. Hoc autem tam spaciose magnitudinis (est) quod illud in maiori parte diei exacte per totum uisere non potui. Ubi tante altitudinis columnas repperi quod nemo lapillum usque ad capitale potest proicere. Quarum quamlibet, ut a cardinalibus accepi, centum uiri uix per annum secare, polire, atque perficere potuerunt. De quo loqui refuto, quoniam si uerum dixerō, ueritati obuiare uidebor.

§ 16. *De templo Palladis.*

Templum etiam Palladis opus quondam insigne fuit. Set multo sudore Christicolarum deiectum et longo senio dirutum, cum totum deleri non possit, pars que residua est horreum est cardinalium. Ibi magna congeries est fractarum effigierum: ibi etiam armata ymago Palladis, adhuc super altissimam testudinem exstans, amisso capite truncata, (spectaculum) mirandum intuentibus exhibet. Hoc<sup>39</sup> ydolum in maiori ueneratione erat apud ueteres Romanorum. Huic adducebantur Christicole, et quicumque flexis genibus Palladem non | adorabat, diuersis penis 197 b. uitam terminabat. Ad hoc ydolum uel simulacrum<sup>40</sup> Ypolitus cum familia sua adductus, quod illud neglexit, equis distractus martirium subiit.

§ 17. Pallacium autem diui Augusti non pretereo. Hec quidem amplissima domus admodum excellebat, iuxta excellentiam conditoris Augusti. Hec autem domus tota marmorea pretiosam materiam et copiosam edificandis ecclesiis que Rome sunt prebuit. De qua quoniam parum restat pauca dixisse sufficiat. Restat autem in(de) quedam particula solii ubi hec scripta repperi: *Domus diui Augusti clementissimi*. Qui, cum esset dominus urbis et tocius orbis<sup>41</sup>, appellationem tamen domini omnino uitauit.

§ 18. Iuxta hoc palatium est murus quidam ex latere coctili<sup>42</sup> descendens a summis montibus. Qui immensis fornicibus aque ductum sustentat per quem annis<sup>43</sup> a montanis fontibus per spacium unius diete urbi illabatur. Qui ereis fistulis postmodum diuisus uniuersis palatiis quondam infuebat. Fluuius etenim Tiberis qui urbem prelabitur equis utilis est, set hominibus inutilis et nocuus habetur. Quare a quatuor partibus urbis per artificiosos meatus Romam (Romani?) ueteres aquas recentes uenire fecerunt. Quibus dum r. p. floruit quicquid libuit licuit<sup>44</sup>.

Iuxta murum | aque ductus, qui per portam Assinariam descendit, est 198 a. balneum Bianei Appollinis, quod una candela consecrationis semel accendit, et perpetuo, ut prediximus, calentes effecit.

§ 19. Prope hoc balneum est domus Aquilea et domus Frontoniana<sup>45</sup>. Set cui contigit uniuersa palatia urbis Rome sermone persequi, cum nemini, ut arbitror, uniuersa uidere contingat? Nunc itaque palacium Tiberianum, opus quidem mirandum et immensum, pretereo. Neronis etiam palatium, et diui Nerue mirabile edificium, et Octauiani<sup>46</sup> palatium

<sup>39</sup> Hoc] Hoo.<sup>40</sup> simulacri.<sup>41</sup> orbis] urbis.<sup>42</sup> coctilis.<sup>43</sup> annis.<sup>44</sup> Cf. *Polychron.* (above, p. 535).<sup>45</sup> frontoniana.<sup>46</sup> octauiam.

transeo. Septem etiam solia mire artis et altitudinis sileo. Vnde ut aiunt Ouidius inquit

Ov. Met.  
ii. 1.

*Regia solis erat sublim[in]ibus alta columpnis*<sup>47</sup>  
*Clara micante auro flammasque ymitante piropro.*

§ 20. De palatio .lx. inperatorum.

Palatium etiam .lx. inperatorum describere quis poterit? Quod cum ex maiori parte lapsum sit, fertur tamen omnes Romanos huius temporis quod in(de) adhuc superest pro tota substantia sua non posse dissoluere.

§ 21. De Pantheon<sup>48</sup>.

Pantheon autem breui transitu pretereo, quod quondam erat idolum omnium deorum, immo demonum. Que domus nunc dedicata ecclesia in honore omnium sanctorum sancta Maria Rotunda uocatur, antonomastice<sup>49</sup> quidem a prima et pociori parte, cum sit omnium sanctorum ecclesia. Hec quidem habet porticum spaciosam multis et mire altitudinis columpnis marmoreis | sustentatam. Ante quam conche et uasa alia miranda de marmore porfirico et leones et cetera signa de eodem marmore usque in hodiernum diem perdurant. Huius domus latitudinem ipse mensus sum, habetque spacium .cc. lx. vi. pedes in latitudine. Cuius quondam tectum deauratum fuit per totum. Set inmoderatus amor habendi et auri sacra famas Romani<sup>50</sup> populi aurum abrasit et templum deorum suorum deturpauit. Qui ob inexplebilem cupiditatem, dum aurum sitiuit et sitit, a nullo scelere manum retraxit aut retrahit.

§ 22. De archu triumphali Augusti<sup>51</sup>.

Prope hoc templum est archus triumphalis Augusti Cesaris, in quo hoc epigramma scriptum repperi: *Ob orbem deuictum Romano regno restitutum et r. p. per Augustum receptam populus Romanus hoc opus condidit*: uidelicet tante uictorie tantique triumphii perpetuum posteritatis monumentum. Est archus ipse marmoreus et multiplex, in quo super extantes longe tabulas lapideas erecte sunt imagines illorum qui principes milicie fuerunt aut qui strenue pugnando perempti sunt uel aliquid memorandum in hostes gesserunt. Inter quas imago Augusti maior ceteris mira arte celata<sup>199 a.</sup> precellit, et ubi triumphat, et ubi hostes | superat, ab omnibus in pictura cognoscendus. Pretea in arcu prefato exercitus undique celatus et undique bella detestanda<sup>52</sup>, que cum intencius aspicias, uera bella uidere existimes. Ibi opere mirabili Actiacum<sup>53</sup> bellum simulatur, in quo Cesar preter spem uictorie superior factus in certamine Cleopatram<sup>54</sup> biremi quadam fugientem persequitur, capturoque similis<sup>55</sup> Cleopatra subducitur, et apposisis aspidibus mammis<sup>56</sup> suis in Pario marmore superba mulier moritura pallescit. De hoc bello Cesar Augustus summum honorem attigit, et hoc modo triumphauit. Quatuor albi equi currum aureum in quo<sup>57</sup> sedebat togam auro et gemmis intextam indutus trahebant, quos

<sup>47</sup> *This line has strayed from its place and has been inserted after detestanda* (§ 22, note 52). <sup>48</sup> *corr. from Pantheon.* <sup>49</sup> *antonomastice] antonomia site.*

<sup>50</sup> *Romani] roma in.*

<sup>51</sup> *augisti.*

<sup>52</sup> *See note 47.*

<sup>53</sup> *Atticum.*

<sup>54</sup> *deopatram.*

<sup>55</sup> *A stop after similis is wanted, and perhaps a word or two has dropped out.*

<sup>56</sup> *mannis.*

<sup>57</sup> *quos.*

iiii<sup>or</sup> nobilissimi Romanorum direxerunt. Et ante eum longo ordine reges, duces, ac principes captiui, manus post terga uincti, et innumera-biles alii celeberrime pompe producebantur. Erantque bella eius et actus strenui lingua omnium gentium que Rome habitabant composita, que legere et cantare in triumpho populus non cessabat. Preterea autem et in tabulis uictoria eius depicta fuit ut hii qui laudem eius audire non possent, eam cernerent. Celebri itaque cantu et inenarrabili ioconditate ipsum in Tarteram<sup>58</sup> rupem usque ad Capitolium perduxerunt, ubi ipse arma quibus | in bello usus fuerat, et que hosti manu propria detraxerat, obtulit 199 b. et in tolis signum tante uictorie suspendit. Ibi a senatu et patribus [et] conscriptis et populo Romano sibi prouincia ultima dabatur, ut fama triumphi et laus tante uictorie per uniuersum orbem claresceret. Hanc rem gestam ut presenti relatione docui arcus pretaxatus sculptis ymaginibus per omnia representat.

§ 23. Uidi etiam alios archus triumphales plures, set huic opere et sculptura ualde similes. Quare et de qualitate aliorum dictum est, ubi archus iste triumphalis<sup>59</sup> descriptus est: Vnusquisque etenim bellum uictoris et actus eius egregios arte miranda celatus, inmensum decus priorum presentibus representat.

§ 24. *De archu Pompeii.*

Est etiam arcus triumphalis Magni Pompeii, ualde mirandus, quem habuit de uictoria quam obtinuit uicto Metridate et filio eius Pharoace<sup>60</sup>. Hi Romanis per .xl. annos rebelles fuerunt. Qui ad ultimum pirates effecti Sillam contra<sup>61</sup> eos missum superauerunt et in fugam conuerterunt. Ad quos postmodum missus Pompeius ante mensem ultra spem Romanorum felici usus fortuna memoratum Metridatem cum filio suo et copiis omnino deuicit. Postea autem antequam Romam redisset, magnam partem 200 a. orientis deuicit et Romanis tributarios effecit<sup>62</sup>. Vbi inmensum pondus auri et argenti quesuiuit: quod longo ordine Pompeiano triumpho prelatum<sup>63</sup> est. Quod sculptura arcus triumphalis eius usque in hodiernum diem representat.

§ 25. *De columpna triumphali Fabricii.*

Uidi etiam columpnam triumphalem Fabricii quam sibi deuicto Pirro rege Epirotarum Romani statuerunt. Qua ut arbitror nil alcius habet Roma: est enim columpna ista rotunda et caua ad instar epicaustolii. Sunt etiam alie iii<sup>or</sup> ad similitudinem istius, quas Romani fistulas uocant marmoreas. Que cum admodum grosse sint, uidentur tamen gracillime ob nimiam altitudinem. Set in quorum honore fuissent edite nondum potui cognoscere. At cum fauente deo in + ex hac peregrinatione rediero, denuo que nunc ambigua sunt et que penitus latent adhuc maiori mora et exercitatori indagacione perscrutabor, et perscrutata gratanter amicis partibor.

Nunc autem ad cognita redeo et columpnam clari Fabricii redeo. Qui ab hoste Pirro hoc approbatus est eulogio descriptus. Cum Fabricius quendam Philippum Pirri medicum<sup>64</sup> domino suo uinctum mitteret,

<sup>58</sup> sc. Tarpeiam.

<sup>59</sup> corr. from triumphales.

<sup>60</sup> sc. Pharnace.

<sup>61</sup> contra] intra.

<sup>62</sup> effecit] effectus.

<sup>63</sup> prelatum] prelectum.

<sup>64</sup> corr. from medico.

quod uitam domini sui secum pro auro habuit, Pirrus legatis Fabricii  
 200 b. respondit: Nimirum hic est | ille Fabricius, qui non facilius diuelli potest  
 ab honestate quam sol a cursu suo. Remisitque uniuersum aurum suum  
 quo Romam emere proposuerat, cum eam uiribus capere non posset. Vnde  
 Lucanus

Lucan iii.  
 160.

*Quo te Fabric(i)us regi non uendidit auro.*<sup>65</sup>

Hec omnia et multa alia egregia facta Fabricii celata sunt in pretaxata  
 columpna.

§ 26. *De arcu triumphali Cipionis.*

Est etiam ibi arcus triumphalis Cipionis, qui ibi <sup>66</sup> perempto Hannibale  
 a Romanis est conditus. Hic cum durissimo hoste Romanorum Hannibale  
 equo certamine <sup>67</sup> dimicauit et h'. uinci primus specie Romanis tribuit.<sup>68</sup>  
 Habuitque Hannibal <sup>69</sup> domesticum|demonem qui illum <cum> Cipione  
 monuit pacem facere. Inde datis induciis ut sepelirentur interfecti,  
 sancito federe per triduum, Hannibal <sup>70</sup> colloquium singulare habuit  
 cum Cipione. Cum autem conuenissent die iiii<sup>to</sup>, duo mire magnitudinis  
 canes <sup>71</sup> ad locum colloquii Hannibalem <sup>72</sup> sunt secuti. Quod cum Cipio <sup>73</sup>  
 nouisset, ad colloquium uenire noluit. Deinde inito prelio grauitur utrin-  
 que [et] coactus est Hannibal <sup>70</sup> de castris suis confugere. Sequenti autem  
 die grauissimo uictus certamine ad Lircum regem confugit. Cum quo  
 iterum uictus Hannibal <sup>70</sup> a Cipione <sup>74</sup>, cum se uideret non posse euadere,  
 hausto ueneno quod gestabat <sup>75</sup> in anulo, dormiendo obiit. Liberati |  
 201 a. itaque a grauissimo hoste Romani, quem usque hodie detestantur et  
 odiunt, uictori Cipioni <sup>73</sup> arcum hunc triumphalem maximo sumptu statue-  
 runt, in quo omnia supradicta et plura sculpta sunt.

§ 27. *De pyramidibus sepulcris potentum.*

Nunc autem de pyramidibus pauca subiciam. Sunt autem piramides  
 sepulcra potentum, mire magnitudinis et altitudinis, in summitate acute  
 figuram h'ecnoïdis <sup>76</sup> referentes. Quarum prima quam uidi Romuli est.  
 Hanc autem ante castellum Crescentii <sup>77</sup> sitam prope ecclesiam beati  
 Petri peregrini mentiuntur fuisse acruum segetis Petri apostoli, quam  
 cum Nero sibi rapuisset, in lapideum collem pristinae quantitatis fuisse  
 conuersam. Quod omnino friuolum est, quo peregrini multum habundant.  
 Habet autem piramis quelibet concam marmoream undique celatam inter  
 se clausam, in qua corpus defuncti sepelitur.

§ 28. *De piramide Augusti.*

Uidi etiam piramidem Augusti prope portam Latinam ex quadris  
 lapidibus ferro <sup>78</sup> compactis constructam, unde adhuc nulla uetustas  
 lapidem unum diuellere potuit.

<sup>65</sup> auro] aurum.

<sup>66</sup> ibi] sibi *perhaps rightly*.

<sup>67</sup> certamino.

<sup>68</sup> et h'. uinci etc. sic.: h' is for Hannibal. *The sense seems to be that Hannibal first, among the enemies of Rome, seemed likely to conquer.*

<sup>69</sup> Hannibal] hec.

<sup>70</sup> Hannibal] h'.

<sup>71</sup> canis.

<sup>72</sup> Hannibalem] hec.

<sup>73</sup> Cipio] c'.

<sup>74</sup> a Cipione] accip'.

<sup>75</sup> gestabat] gestiebat.

<sup>76</sup> h'ecnoïdis or h'ecuoidis *cod.*

<sup>77</sup> Crescentii] crescentis.

<sup>78</sup> ferro] fo ferro.

§ 29. Sunt autem Rome piramides multe, set omnium maior(i) admiratione digna est piramis Iulii Cesaris, que ex uno solidoque lapide porf(ir)ico condita est. De qua ualde mirandum est quomodo secari aut erigi aut stare potuit tante altitudinis moles. Est enim ut asserunt altitudo eius cc. l. pedes. | Habetque in summitate speram eneam, in qua cineres et 201 b. ossa Iulii Cesaris condita sunt. De qua mirando quidam sic ait :

*Si lapis est unus, dic qua sit arte leuatus ;  
Si lapides plures, dic ubi congeries.*

Stat autem eo loco, ut aiunt, quo quidam Iulio occurrit concionem adeunti, deferens ei litteras facte in se coniurationis dolum denudantes. Ubi inter cetera continebatur ipsum crudeliter obitum<sup>79</sup> si eo die contionem aut Capitolium intraret. Qui cum litteras suscepisset, lateri sic ait : Nunc cum astronomico hoc sermonem habebo, post contionem litteras uestras uidebo. Vocauit itaque obuium sibi astronomicum, qui Cesarem moriturum in kalendis predixerat, et inquit ei : Hodie Kalende sunt et adhuc uiuo. Cui astronomicus inquit : Sunt quidem kalende, sed nondum transierunt, et utinam mendax reperiar. Et confestim Cesar inde diuertens Capitolium ingreditur. Ubi a Bruto et Cass(i)o et eorum fautoribus<sup>80</sup> .xx. iiii. stibiis confossus, in Capitolio obiit. Dicit tamen Marius Suetonius, cui magis credo, quod capulis gladiatorum fuerit interemptus, unde et uulnus in eo non apparuit. Quare in numero deorum eum raptum dicebant. Unde Maro in epitafio eius ita inquit :

*Candidus insuetum miratur lumen Olympi.  
Dafnis ego in siluis hinc usque ad sidera notus,  
Formosi custos pecoris, formosior ipse, etc.]<sup>81</sup>*

Vergil,  
*Ecl.* v.  
56, 43, 4.

Littere etiam prefate in se coniurationis inuente sunt in sinistra manu 202 a. eius. Cesar itaque dominator et dominus orbis terrarum, qui primum libertate depressa sibi usurpauit imperium, primo rogum<sup>82</sup> in paruum redactus cinerem predicta enea spera clauditur. Hanc autem piramidem peregrini (acum)<sup>83</sup> beati Petri appellant. Sub quo magno labore reptant ubi super .iiii. eneos leones saxum fundatur. Mentiunturque mundum a peccatis et ueram perfecisse penitenciam qui sub saxo reperi potuerit.

### § 30. De faro Alexandrino.

Ingens etiam miraculum est farum Alexandrinum, quomodo super .iiii. cancos uitreos in mari<sup>84</sup> fundatum est, uidelicet quomodo tam magni cancri ex uitro fieri potuerunt, et quomodo in mare portati et non fracti, et quomodo cement(i)ta fundamenta sub aquis cancris supposita durare potest cementum, et quare cancri non frangantur in mari, et quare non lubricat sub tanto pondere cementi fundamentum, quod magnum mirum est. Set dicit Ysidorus[a] puluerem quendam huius nature esse, quod aqua mixtum si soli aut igni apponitur, in pristinum puluerem redigitur. Si uero aqua<sup>85</sup> mergatur, solidatur et lapidescit. Set non est huius operis causas aperire mirabilium.

<sup>79</sup> obitum] obit'ñ.

<sup>80</sup> fātoribus.

<sup>81</sup> Thus given : Dafnis e. i s. h. u. a. s. n. for. c. p. f. i.

<sup>82</sup> sic : qu. primus regum ?

<sup>83</sup> acum] supplied from Polychronicon.

<sup>84</sup> mare.

<sup>85</sup> aque.

§ 31. Colosseum<sup>86</sup> autem palacium Titi et Uespasiani transeo. Quis enim artificiosam compositionem eius et magnitudinem sermone exequi poterit? Iuxta hoc palacium est imago suis<sup>87</sup> quam Eneas fetam iuxta uaticinium Priamidis Eleni<sup>88</sup> legitur reperisse, signum scilicet ciuitatis eo loco edificande quam fata sibi dederant orbi toto inperaturam. De hoc signo Uirgilius sic ait:

*Aen.* iii.  
390, 2;  
cf. viii.  
43.

*Inuenta sub ilicibus sus  
Alba solo recubans, albi circum ubera nati.*

Est autem hoc signum ex Pario marmore candidissimo mira arte perfecto. Reptantque circum ubera eius nati numero .xxx.

§ 32. In porticu etiam ante hiemale palatium domini pape est imago enea illius lupe que dicitur Remum et Romulum aluisse. Set hoc quidem fabulosum est. Nam Lupa<sup>89</sup> quedam mulier eximie pulcritudinis antiquitus Rome fuit. Hec Remum et Romulum in Tiberi proiectos inuenit, et pro suis aluit. Que ideo Lupa dicta est, quoniam pulcritudine sua et illecebris suis homines in<sup>90</sup> amorem suum rapiebat. Hec autem lupa enea arieti eneo insidiatur<sup>91</sup>, qui ante palatium prefatum aquam abluendis manibus ore emittit<sup>92</sup>. Lupa etiam quondam singulis mammis aquam abluendis manibus emittebat, set nunc fractis pedibus a loco suo diuulsa est.

§ 33. Ante hanc enea tabula est, ubi pociora legis precepta scripta 203 a. sunt. Que tabula prohibens | peccatum dicitur. In hac tabula plura legi, set pauca intellexi. Sunt enim afforism(i), ubi fere omnia uerba subaudiuntur.

[*The remainder of f. 203 is cut away, leaving only a small slip at the top: the verso is blank, and probably the remainder of the recto was also blank.*]

### *Note on the Name Magna Carta*

IN supplement to the note on the name Magna Carta which appeared in this Review in 1915,<sup>1</sup> I now reproduce two letters from the Close Roll of 9 Henry III, which are strongly confirmatory of the view I maintained that *magna carta* came into use to distinguish the parent document from its offspring, the charter of the forest. In the first of these letters, not only is the *carta libertatum* called *maior*, as in 1218; but the contrast is even more pointed through the use of *minor* in the next sentence to describe the forest charter. The second letter contains the earliest absolutely proved use yet noticed of *magna carta* for the *carta libertatum*,—*magna carta nostra de libertatibus*. For here the words are in the original roll, whereas it will be recalled that the letter containing the term and dated February 1218 was in the duplicate or copy of

<sup>86</sup> Doloseum.

<sup>87</sup> suis] sciis.

<sup>88</sup> Piramidis elene.

<sup>89</sup> lupam.      <sup>90</sup> in] et

<sup>91</sup> corr. from insideatur.

<sup>92</sup> emittit] remt.

<sup>1</sup> *Ante*, xxx. 472-5.